



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Die XV. Novembris. In Festo S. Gertrudis Virginis & Abbatissae

[S.l.], [ca. 1770]

Lectio IV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62880)

Die XV. Novembris.  
IN FESTO S. GERTRUDIS  
VIRGINIS & ABBATISSÆ.

Duplex.

*Omnia de communi Virginum præter seq.  
Oratio.*

**D**EUS, qui in corde beatæ Gertrudis  
Virginis jucundam tibi mansionem  
præparasti; ipsius meritis & intercessione  
cordis nostri maculas clementer absterge,  
& ejusdem tribue gaudere consortio. Per  
Dominum.

IN I. NOCTURNO.

*Lect. de Scriptura occurrente.*

IN II. NOCTURNO.

*Lectio IV.*

**G**ertrudis Islebii in Saxoniâ nobili gene-  
re nata, quinquennis in Monasterio Ro-  
dardensi, Ordinis Sancti Benedicti, virgini-  
tatem suam, ac se ipsam JESU Christo  
obtulit. Quo ex tempore à mundanis re-  
bus prorsus aliena, virtutique sedulò inten-  
ta, cœlestis vitæ genus instituit. Ad huma-  
norum Litterarum notitiam rerum divi-  
narum cognitionem adjunxit. Quarum  
meditatione vehementiùs ad virtutem in-  
censa, brevì Christianam perfectionem a-  
depta est. De Christo, ejusque vitæ mysteriis  
sæpenumerò pio cum animi sensu loque-  
batur:

✕

batur:

batur: unamque Dei gloriam cogitans, ad illam vota sua omnia, & actiones referebat. Quamvis autem multis eximiis naturæ & gratiæ donis à Deo aucta esset, ita tamen sibi ipsa vilescibat, ut inter præcipua divinæ bonitatis miracula hoc item memoraret, quòd se indignissimam misericorditer sustineret. *R.* Propter veritatem.

*Lectio V.*

**T**rigesimum ætatis annum agens, primum Rodardensis Monasterii, ubi religiosam vitam est professa, deinde Elpediani præses electa, quadraginta annorum spatio, ea charitate, prudentia, & regularis disciplinæ studio munus obivit, ut Cœnobium religiosæ perfectionis domicilium videretur. Utrobique verò, licet esset omnium Mater & Magistra, omnium tamen minima haberi volebat, ac demissione pari ministram se exhibebat. Quòd liberiùs Deo vacaret, vigiliis, abstinentia, aliisque cruciatibus corpus afflixit; semperque sui similis, morum innocentiam, mansuetudinem, ac patientiam prætulit singularem. Proximorum saluti omni ope studuit, piæque curæ copiosum fructum retulit. Divini amoris vi frequentes patiebatur ecstases: altissimæque contemplationis, & divinæ unionis donum obtinuit. *R.* Dilexisti.

*Lectio*